

BIBL.
DE
L'UNIVERSITÉ
MS.
1120

SALVATORIS INFANTIA



Sanctus Ioseph Puer-Iesus Dei filius et Maria Virgo Deipari
Omnipotens sacro conducit Pneumate Christum
Dum Matri Puer est subditus alque Patri



128
M. T. CIC. IN M.
Antonium ad Quirites
Philippica III.



PARISIIS,
Ex Typographia IOANN. LIBERT, via Diui
Ioannis Lateranensis, è regione
Collegij Regij.

M. DC. XIII.



M. T. C. IN M. ANTONIVM
Ad Quirites Philippica III.

Frequentia vestrum incredibilis, Quirites, co-
ciòque tanta, quantam meminisse non videor,
& alacritatem mihi summam affert Reip. defen-
denda, & spem recuperanda libertatis. quan-
quam animus mihi quidem nunquam defuit,
tempora defuerunt: quæ simul ac primum aliquid
lucis ostendere visa sunt, princeps vestre libertatis
defendenda semper fui: quod si ante facere cona-
tus essem, nunc facere non possem. Hodierno enim
die, Quirites, ne mediocrem rem actã arbitremi-
ni, fundamenta sunt iacta reliquarum actionum,
nam est hostis à Senatu, nondum verbo appella-
tus, sed re iam iudicatus Antonius. Nunc verò
multo sum erectior, quod vos quoque hostem illum
esse tãto consensu, tantoque clamore approbauistis.
Nec enim fieri potest, ut non aut ij sint impij, qui
contra Consulem exercitum comparauerunt: aut

^{contra} ille hostis, ^{et} contra quem iure arma suscepta sunt,
^{in omni} Hanc igitur dubitationem, ^{et} quanquam nulla erat,
^{et} tamen ne qua posset esse, Senatus hodierno die su-
^{stulit} stulit. C. Caesar, qui Rempub. libertatemque ve-
^{stram} stram suo studio, consilio, patrimonio denique tu-
^{tatus} tatus est, ^{et} tutatur: maximis Senatus laudibus
^{ornatus} ornatus est. Laudo, laudo vos, Quirites, cum gra-
^{tissimis} tissimis animis prosequimini nomē clarissimi ado-
^{lescentis} lescentis, vel pueri potius: sunt enim facta eius im-
^{mortalitatis} mortalitatis, nomē tatis. Multa memini, multa
^{audivi} audivi, multa legi: nihil ex omnium seculorum
^{memoria} memoria tale cognoui: qui cum servitute premere-
^{mur} mur, ^{et} indies malum cresceret, praesidij nihil ha-
^{beremus} beremus, capitalem ^{et} pestiferum Brundisio M.
^{Antoni} Antoni reditum timeremus, hoc insperatum o-
^{mnibus} mnibus consiliū, incognitum certē, cepit, ut exerci-
^{tum} tum invictum ex Hispanis militibus conduceret,
^{Antoni} Antoni q; furorem crudelissimis consilijs incita-
^{tum} tum à perniciē Reip. auerteret. Quis est enim, qui
^{hoc} hoc intelligat, nisi Caesar exercitum parauisset,
^{non} non sine exitio nostro futurum Antoni reditum
^{fuisse} fuisse? Ita enim se recipiebat ardens odio vestri,

cruentus sanguine civium Ro. quos Sueſſe, quos
 Brudusij occiderat, ut nihil, niſi de pernecie Rei-
 pub. cogitaret. Quod autem erat praſidium ſalu-
 tis, libertatiſque veſtra, ſi C. Caſaris, fortiſſimo-
 rumque ſui patris militum exercitus non fuiſſet?
 cuius de laudibus & honoribus, qui ei pro diuinis,
 & immortalibus meritis diuini, immortalesque
 debentur, mihi Senatus aſſenſus paulò antè decre-
 vit, ut primo quoque tempore referretur. Quo de-
 creto quis non perſpicit Antonium hoſtem eſſe indi-
 catum? Quem enim appellare poſſumus eum, con-
 tra quem qui exercitus ducunt, iſ. Senatus arbi-
 tratur ſingulares exquirendos honores? Quid le-
 gio Martia? qua mihi videtur diuinitus ab eo
 Deo traxiſſe nomen, à quo populum Romanum
 generatum accepimus: nonne ipſa ſuis decretis
 prius, quam Senatus, hoſtem indicauit Antoniū?
 nam ille ſi non hoſtis, qui Conſulem reliquerunt,
 hoſtes neceſſe eſt iudicemus. Praclara & lucluenta
 reclamatiōe veſtra factum pulcherimum Mar-
 tialium comprobatiſtis: qui ſe ad Senatus auctori-
 tatem, ad libertatem veſtram, ad uniuersam Rēp.

contulerunt, hostem illum, & latronem, & parricidam patriae reliquerunt. Nec solum id animosè
 & fortiter, sed consideratè etiam, sapienterque fecerunt. Alba constiterunt in urbe opportuna, munita, propinqua fortissimorum virorum, fidelissimorum civium atque optimorum. Huius Martiae legionis legio Quarta imitata, virtutem, duce L. Egnatuleio, quem Senatus meritò paulo ante laudavit, C. Caesaris exercitum prosecuta est. Quae expectas M. Antoni, iudicia graviora? Caesar fertur in caelum, qui contra te exercitū comparavit: laudantur exquisitissimis verbis legiones, quae te reliquerunt, quae a te arceris et sunt: quae tuae essent, si te Consullem, quam hostem maluisses: quarum legionum fortissimum, verissimumque iudicium confirmat. Senatus, comprobat. uniuersus populus Romanus: nisi forte vos, Quirites, vos iudicare, ut ostenditis, municipia, colonias, praefecturas, nū aliter iudicare censetis? omnes mortales una mente consentiunt, omnia arma eorum, qui hac salua velint, contra illam pestem esse capiēda. Quid? D. Bruti iudicium, Quirites, quod ex hodierno

+ consulam nos solum
 iudicatio antoniana
 sic arbitra ex quibus

PHILIPPICA IIII.

eius edicto perspicere potuistis: num cui tandem
 contemnendum videtur? rectè, & verè negastis,
 Quirites, est enim quasi Deorum immortalium
 beneficio & munere datum Reipublica Brutorum
 genus, & nomen, ad libertatem populi Romani vel
 constituendam, vel recuperandam. Quid igitur
 D. Brutus de M. Antonio iudicavit? exclusit
 prouincia: exercitu obstitit: Galliam totamhorta-
 tur ad bellum, ipsam sua sponte, suoque iudicio ex-
 citatam. Si consul Antonius, Brutus hostis: si cō-
 seruator Reipublica Brutus, hostis Antonius. Nū-
 igitur, utrum horū sit, dubitare possumus? atque
 ut vos una mente, unaque voce dubitare, vos nūc
 negatis, sic modo decreuit Senatus, D. Brutum
 optimè de Republica mereri, cum Senatus aucto-
 ritatem, populique Romani libertatem, imperium-
 que defenderit. A quo defenderit? nempe ab hoste.
 qua est enim alia laudanda defensio? Deiceps lau-
 datur prouincia Gallia, meritòq, ornatur verbis
 amplissimis à Senatu, quod resistat Antonio: quē
 si Consulem illa prouincia putaret, neque eum reci-
 peret, magno scelere se adstringeret. ònes enim sub

Consulibus iure, & imperio debent esse provinciae.
 Negat hoc D. Brutus Imperator, Consul designatus, natus Reipublicae civis; negat Gallia, negat
 Senatus, negatis vos. Quis igitur illum Consul
 lem, nisi latrones putant? quanquam ne si quidem
 ipsi quod loquuntur, id sentiunt; nec a iudicio om-
 nium mortalium, quamvis impij, nefarijque sint,
 sicut sunt, dissentire possunt. sed spes rapiendi atque
 praedandi obcecat animoseorum, quos non bono-
 rum donatio, non agrorum assignatio, non illa in-
 finita Pompeij hasta satiauit: qui sibi urbem, qui
 bona & fortunas civium ad praedam proposue-
 runt: qui dum sit quod rapiant, quod auferant, ni-
 hil sibi defuturum arbitrantur: quibus M. An-
 tonius (o dij immortales, avertite, & detestamini
 quaso hoc omen) urbem se divisurum esse promisit.
 Ita vero ei, Quirites, ut precamini, eveniat, quod
 huius armentiae poena in ipsum familiamque eius re-
 cidat: quod ita futurum esse confido. iam enim non
 solum homines, sed etiam deos immortales ad
 rem publicam conservandam arbitror consensisse.
 Sive enim prodigijs atque portentis dij immortales
 nobis

nobis futura predicunt: ita sunt aperte denuncia-
 ta, ut illi poena, et nobis libertas appropinquet
 siue tantus consensus omnium, sine impulsu Deo-
 rum esse non potuit, quid est, quod de voluntate cœ-
 lestium dubitare possimus? Reliquum est, Quirites,
 ut vos in ista sententiâ, quam præ vobis fertis, per-
 seueretis. Faciam igitur, ut imperatores instructa
 acie solent, quanquam paratissimos milites ad præ-
 liandum videant, ut eos tamen adhortentur: sic ego
 vos ardentes, erectos ad libertatem recuperandâ
 cohortabor. Non est, non est vobis, Quir. cum eo
 hoste certamen, quo cum aliqua pacis conditio esse
 possit. neq; enim ille servitutem vestram, ut antea,
 sed iam iratus sanguinem concupiscit. Nullus ei
 ludus videtur esse iucundior, quàm cruor, quàm
 cædes, quàm ante oculos trucidatio civiû. Non est
 vobis, Quirites, res cum scelerato homine atq; ne-
 fario, sed cum immani tetragâ belluâ: quæ quoniâ
 in foveam incidit, obruatur. si enim illinc emerse-
 rit, nullius supplicij crudelitas erit recusanda; sed
 tenetur, premitur, urgetur, nunc ijs copijs quas iam
 habemus: mox ijs, quas paucis diebus novi consu-

les comparabunt. Incumbite in causam, Quirites,
 ut facitis: numquam inter Senatum & vos con-
 sensus maior in ulla causa fuit: numquam tam ve-
 hementer cum Senatu consociati fuistis, nec mirū:
 agitur enim nō qua conditione victuri, sed victu-
 rine simus, an cum supplicio, ignominiāque peritu-
 ri, quanquam mortem quidem omnibus natura
 proposuit: crudelitatem mortis, & dedecus, virtus
 propulsare solet, quae propria est Romani generis, &
 seminis. Hanc retinete, quæso, Quirites, quam vo-
 bis tāquam hereditatem, maiores vestri relique-
 runt, quanquam omnia alia falsa, incerta sunt,
 caduca, mobilia: virtus est una altissimis defixa
 radicibus: quæ nūquam ulla vi labefactari potest,
 nunquam dimoueri loco. Hac virtute maiores no-
 stri primū uniuersam Italiam deuicerūt, deinde
 Carthaginem exciderunt, Numantiam euerte-
 runt, potentissimos reges, bellicosissimas gentes, in
 ditionem huius inperij redegerunt. Ac maioribus
 quidem vestris, Quirites, cum eo hoste res erat, qui
 haberet Remp. curiam, erarium, consensum, &
 concordiam ciuium, rationem aliquam, si res isa-

tulisset, pacis, & fœderis: hic vester hostis vestram
Rempub. oppugnat: ipse habet nullam: Senatum,
id est, orbis terræ consilium, delere gestit: ipse consi-
lium publicum nullum habet. *Ærarium vestrum*
exhausit: suum non habet. nam concordiam civiū
qui habere potest, nullam qui habeat civitatem? pa-
cis verò quæ potest cū eo esse, ratio, in quo est incredi-
bilis crudelitas, fides nulla? Est igitur, Quirites,
populo Rom. victori omnium gentium, omne cer-
tamen cum excursore, cum latrone, cum Spartaco,
nam, quod se similem Catilina esse gloriari solet, sce-
lere par est, belli industriâ inferior. Ille cū exerci-
tum nullum haberet, repente conflavit: hic eum ip-
sum exercitum, quem accepit, amisit. Vt igitur Ca-
tilinam diligētia mea, Senatus auctoritate, vestro
studio, & virtute fregistis, sic Antony nefarium
latrocinium vestra cum Senatu concordia tanta,
quanta nunquam fuit, felicitate & virtute exer-
citum, ducumq; vestrorum, brevi tempore oppres-
sum audietis. Equidem, quantum cura, labore, vi-
gilijs, auctoritate, consilio, eniti atque efficere pote-
ro, nihil pratermittam, quod ad libertatem vestrā

*perferat per vos grauius sumo facto quo iay non potest per
 pertinere arbitrabor. Neque enim id pro vestris in
 me amplissimis beneficijs sine scelere facere possum.
 Hodierno autem die primum, referente viro for-
 tissimo, vobisq; amicissimo, M. hoc Servilio, colle-
 gijq; eius ornatissimis viris, optimis ciuibus longo
 interuallo me auctore, & principe, ad spem liberta-
 tis exarsimus.*

FINIS.

